



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XIV. Peccati mortalis gravitatem ex supplicijs, quibus illud Deus in
hac vita vindicat, cognosci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

Peccati mortalis gravitatem ex supplicijs,
quibus illud Deus in hac vitâ vindi-
cat, cognosci.

C A P. XIV.

Res certa est ex gravitate poenæ,
quam iuste leges delictis assignant,
delicti gravitatem apparere. Et quan-
do leges à pijs Regibus stabiliuntur,
& Iudices, qui eas executioni man-
dant, placidi, ac misericordes viri
sunt, si valde grauis poena sit, res ad-
huc certior, & sine controuersia est,
delictum admodum graue esse oportere.
Consideremus ergo poenas, qui-
bus Deus in hac, & in alterâ vitâ pec-
cata plectit; atque hinc peccati mor-
talis gravitatem clarè colligemus. Ut
enim Angelus de improborum coetu
loquens dixit, *a quantum se super-
bè glorificauit, & in delictijs fuit, tan-
tum tormentum, & tanta amaritudo
dabitur illi.* Præsertim cum tam sua-
uis, & tam abundans sit misericordia

G 6

Dei,

a Apocal. 18. 7.

Dei, quæ in omnibus eius operibus re-
 peritur, nec solùm in ijs, quæ purè sunt
 misericordiæ, sed etiam in illis, quæ
 sunt iustitiæ punitiue, ita temperant
 moderansque pœnas, vt multò mino-
 res sint, quàm culpæ mereantur; nam
 vt David loquitur, *Misericordiâ Domini
 plena est terra.* ^a Non est locus, nec
 tempus, vbi non inueniatur Dei misere-
 ricordia: non est persona, erga quam
 Deus non magnâ misericordiâ vtatur:
 non est opus, in quo diuina eius misere-
 ricordia non resplendat: nihilominus
 videmus Deum in hac vitâ grauissi-
 mas pœnas de peccatoribus sumptissi-
 se. Et cum hic mundus non sit præci-
 pius pœnarum locus, neque hæc vitâ
 proprium iustitiæ punitiue tempus,
 quòd Deus in hoc mundo, & in hac
 vitâ tantas à peccatoribus pœnas ex-
 petijt, valdè manifestat grauitatem
 peccati mortalis, & magnitudinem
 pœnarum, quæ in altero mundo, & in
 alterâ vitâ, qui locus, tempusque pro-
 prium

^a *Psal. 32. 5.*

prium pœnæ est, peccatores manent, lam vt hæc veritas meliùs considere- tur, sentiaturque nonnullas ex istis pœnis in diuinâ Scripturâ proditas hoc loco narremus. Et omiſſâ pœnâ malorum Angelorum, nec non Ada- mi, & mundi in ipsius principio, de quibus iam diximus, ſpeciales aliquot pœnas referamus. Cum Lot egrede- retur cum vxore, & liberis de ciuitate Sodomâ, dixit eis Angelus, *ne respice- rent post tergum* ad videndum vrbs in- cendium; & quia mulier audito ignis ſtrepitu respexit, ſtatim eam Deus vitâ per mortem ſubitaneam priuauit, in- que ſtatuam ſalis vertit. *a* Egreſſi ſunt de terrâ ſuâ Ægyptij, perſequentes fi- lios Iſraël, ingreſſosque mare, mox di- uino iuſſu fluctus aquarum operue- runt, vt omnes & corpore, & animâ perierint. *b* Nadab, & Abiu, filijs Aa- ron, quia non poſuerunt in thuribula ignem de altari ſumptum, vt Lex præ- cipiebat, ſed *ignem alienum*, immiſit

G 7

Deus

a Gen 19. 26. *Exod.* 14. *b* *Leu.* 10. 2.

Deus ignem de cælo, qui eos vinos *deuorauit*, nec ipsis profuit, quòd filij Aaron serui eius, & Moysis magni ipsorum amici nepotes essent. Homo quidam qui in die Sabbati Iudæis festo, *a magna collegit*, quia seruili illo opere diem festum violauit, Dei iussu uisus lapidibus obrutus est. Quia filij Israël in peregrinatione per desertum murmurârunt, *b quasi dolentes pro tineris labore, accensus in eos ignis Domini multos deuorauit.* *c* Et quia cum impatientiâ, ac murmure de panis, & aquæ penuriâ conquerebantur, *in eos Dominus ignitos serpentes*, qui plurimos ipsorum occiderunt, atque depasti sunt. *d* Et quia fornicati sunt cum filiabus Moab, iussit Deus principes eorum *suspendi in patibulis*, & ceteris plagam immisit, quâ *occisi sunt viginti quatuor millia hominum*. Et qui noluerunt pugnare ad potiendum terra

a Num. 15. 36. b Num. 11. 2. c Num. 21. 6. d Num. 25. 9.

râ promissionis, confidendo, Deum
ipsis victoriam ex inimicis, sicut pro-
miserat, concessurum occidit idem.
Deus in deserto sexcenta millia eorū,
viros arma ferentes, qui scilicet adul-
teri de Ægypto egressi erant. *a* Quia
Heli summus legis Sacerdos, cum sci-
ret filiorum suorum peccatum, eos
non cum omni debitâ diligentia, effi-
caciâque, sed negligenter, ac nimis le-
niter correxit, & reprehendit, Deus
& filios, & ipsum occidit, conquestus
que de eo est, quòd per illam negli-
gentiam *magis filios suos, quàm se Deum
honorasset.* *b* Cum Bethsamitæ arcam
Domini nudam vidissent, contra le-
gem, quæ res ad Sanctuarium spectan-
tes non nisi velis suis opertas videri
iubebat, propter hanc, quæ tam levis
videtur, culpam, Deus tam terribiliter
in eos animaduertit, quàm fuit repen-
tinâ morte *de populo septuaginta viros,*
ciues.

*a Num. 14. 37. b 1. Reg. 2. 29. 1. Reg.
6 19. Num. 4. 6.*

ciuesque primarios, & quinquaginta
 millia plebis percutere. Quia Dauid in-
 fit numerari populum, quæ fuit super-
 bia quædam, & iactantia, contraque
 ordinem, quem Lex in numerando
 populo seruari præcipiebat, Deus per-
 niuit eum, occidens peste de populo
 Israël *septuaginta millia virorum.* *a* Quia
 Ananias, & vxor eius Saphira partem
 pretij, quo proprium suum agrum ven-
 diderant, sibi sumpserunt, & hanc suam
 culpam mendaciter celabant, Deus il-
 los per Sanctum Petrum subitanè, ac
 miserabili morte peremit. *b* Quia
 Herodes rex *vestitus veste regiæ, sedens-*
que pro tribunali, & populi acclamatione
 audiens, blanditijs eius, vanisque lau-
 dibus elatus est, *confestim percussit eum*
Angelus Domini: & consumptus à vermi-
bis expirauit. *c* Has, aliasque pœnas
 diuina Scriptura memorat, quas Deus
 de hominibus peccatoribus ob grauiora
 peccata sumpsit: Et quanquam ex ter-
 rorem, ac metum incutiunt, alias ta-
 men

a 2. Reg. 24. 16. b Act. 5. 10. c Act. 12. 23.

men narrat, quæ maiorem admirationem, & timorem afferunt, quippe quas homines iusti, & propter peccata, quæ videnter leuia admodum dederunt. Cum Moyfes, & Aaron dubitâssent, an propter populi rebellionem, & malitiam Deus de durâ petrâ aquam, sicut promiserat, daturus esset, ob hoc diffidentia peccatum, quod nonnullam excusationem habebat, Deus illos valdè grauitè puniuit, faciens eos mori in deserto, nec sinens in terram promissionis intrare. *a* Ezechias sanctus rex, quia cum aliquâ præscriptione, vanâque gloriâ monstrauit omnes thesauros, & omnia pretiosa domûs suæ legatis regis Babylonis, à Deo tam vehementer punitus est, vt diuinâ voluntate venerit de Babylone potens exercitus, qui domum illius spoliauit, omnes eius diuitias abstulit, regnum ipsius destruxit & filios captiuos abduxit. *b* His, alijsque id genus pœnis, quarum plenæ sunt Ecclesiasticæ,

pro-

a Num. 20. 12. b 4. Reg. 20. 18.

prophanaeque historiae, & quas oculis nostris quotidie vidimus, & experientia nos docet, clarissime Deus in mensam peccati mortalis gravitatem nobis manifestat: siquidem innumeri ex istis peccatoribus per poenam se non correxerunt, sed mortui sunt sine poenitentia, fuitque poena principium damnationis ipsorum. Quod ergo Deus, qui illos in altera vita poenam aeternam inferni plexurus erat, non contentus fuit ea poena, nec sibi satisfecit, sed voluit iam hinc poenam inchoari, & infernum, qui aeternum durabit, principium accipere, evidentissimum testimonium est, tantam esse peccati mortalis gravitatem, ut iuste mereatur omnia inferni tormenta, omnesque vitae huius poenas, & alias longe maiores, quandoquidem Deus id semper infra meritum punit, *a Omnis divina percussio, inquit Sanctus Isidorus, aut purgatio animae à peccatis*

a D. Isidorus l. 3. de summo bono cap. 2,

in vitâ presenti est, aut initium pœna sequentis. Nam quibusdam flagella ab hac vitâ inchoant, & in eternâ percussione perdurant.

Neque solùm pœna impiorum, quæ est ipsorum damnationis principium, nobis manifestat, & declarat gravitatem peccati, ac pœnæ, quæ eos in alterâ vitâ manet; sed etiam pœna iustorum, ac pœnitentium hominum, quæ est eis purgatorium, & medicina ad animas suas perfectiùs à culpis mundandas, estque probatio, & exercitium virtutum, ac meritorum augmentum, manifestat, declaratque gravitatem peccati, & pœnæ, quâ in alterâ vitâ punietur. Etenim si in hac vitâ magni amici Dei ob leues culpas, iuste tantas merentur pœnas, quantas merebuntur ob gravia peccata inimici Dei? Et si iusti, Dei que electi ita puniuntur, ac purgantur in hac vitâ tantis tribulationibus, tormentisque missis de manu Dei, qui eos amat, & salvare vult; quanta erunt tormenta,
qui-

quibus in alterâ vitâ impij, ac repro-
 afficientur à iustitiâ Dei, qui propter
 peccata odit illos, atque condemnat.
 Monet hoc Sanctus Gregorius hisce
 verbis: *a Magnâ arte doctrinâ dictum*
 Sanctus Iob *verba, prætulit sua recte fa-*
cta; ut hinc unusquisque consideret, qui
peccantes postmodum supplicia manent
 in alterâ vitâ, *si etiam iustos tam valida*
hic flagella castigant.

Hoc est mysterium, quod S. Petrus
 Fidelibus aperuit, quando dixit: *Tempus est*
 in hac vitâ, & in hac ætate,
ut iudicium, iustum quo Deus homines
 tribulat, & affligit, *incipiat à Fidelibus,*
 & iustis, qui habitant in *domo Dei,* quæ
 est Ecclesia. Et si à nobis, qui vero Deo
 seruiamus, hoc iudicium incipit, *quis fi-*
nis eorum erit, qui per Fidem, bonam
 que vitam non obediunt Christi *Euang-*
gelio? quæ poenæ, quæ tormenta eos
 manent in alterâ vitâ, vbi est vltimus
 finis gloriæ pro bonis, & poenæ pro
 sceleratis? S. item Paulus ad Thessalo-
 nicen-

a D. Greg. l. 5. mor. c. 8. b 1. Petr. 4. 17.

nicenses scribens, *a gratias*, inquit, *agimus Deo, & gloriamur in patientiâ vestrâ, & firmitate Fidei vestræ in omnibus persecutionibus, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei; Quasi dicat: cum vos diuinâ ordinatione tot pœnas, & aduersitates patiamini in hac vitâ, exemplum, testimoniumque datis iusti iudicij Dei: nam ex vestris pœnis colligitur, quàm terribilis sit futurus Deus in puniendis impijs, & quantæ, quàmque horrendæ futuræ sint pœnæ, quas in alterâ vitâ de illis sumet, quandoquidem iustis, & amicis suis, vt eos à quibusdam defectibus purget, suæque gloriæ idoneos reddat, tantas in hac vitâ pœnas, ac tribulationes immittit. Sic ex pœnis, & aduersitatibus, quibus Deus malos punit, bonosque purgat in hac vitâ, probatur, & manifesta fit peccati mortalis gravitas; nobisque persuadetur, vt summè oderimus tantum malum, quantum est peccatum, & tempora.*

a 2. Thess. 1. 4.

porales, æternasque pœnas, quibus Deus iam punit, timeamus. Etenim certum est, quemadmodum Deus omnes illos, quos recensuimus, peccatores puniit, ita quoque nos, si in culpe eos imitabimur, puniturum: *a* neque enim (vt optimè S. Papa Sixtus loquitur) illis *Deo chariores sumus, vt nobis impunè cedere existimemus, si aliquorum similia commiserimus.* Neque temporis legis gratiæ, in quo viuimus, nos peccato magis excusat, neque pœnam quam meretur, imminuit; quin potius *amplioris pœnæ reus noui Testamenti prouaricator, quàm veteris esse censendum est, è quòd grauius sit, quæ per Filium, quàm quæ per famulum fuerint imperata, contemnere.* Vnde monet Sanctus Paulus Hebræos, dicens: *b* *Videte, ne recusetis, nec reiiciatis in lege gratiæ legentem vobis in eâ Christum, neque ei obedientiam verbo ipsius debitam denegetis. Si enim illi antiqui Israël*

a Sixtus 3. in biblioth. tom. 5. epistol. de malis doctoribus. *b* Ad Hebr. 12.

litæ, qui receperunt legem Moyſi, non potuerunt temporalem pœnam, æternamque damnationẽ effugere eò quod recusarunt, nec obediẽrunt ei, qui ſuper terram iſtis loquebatur, id eſt, Moyſi, qui tametiſi in Dei perſonã loquebatur, erat tamen purus homo formatus de terrã, & ſecundũ perſonam ſuam in terrã habitabat; multo magis nos, qui ingratioreſ, & culpabiliores ſumus, non poterimus effugere pœnam Dei, & æternam damnationem, ſi peccando recuſamus, nec obediunt de caelis nobis loquenti, qui eſt Filius Dei, qui de caelo deſcendit homo factus, & quoad diuinam perſonam ſemper in caelo eſt, & res, quas nobis præcipit, & bona, quæ nobis promittit, ſpiritualia ſunt, atque diuina.



Inter